



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Somnus Delphini.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

Occurret victori : illam vicina sequentur  
 Oppida, prostratæque solo cum turribus arces  
 Orantes veniam. Tu vincula demere captis  
 Gaudebis, Lodoice; jugoque exolvere colla  
 Jam placidus, positoque ultoris nomine princeps.

## SOMNUS DELPHINI.

**D**UM compressa silent patriis sub legibus arma,  
 Sopitûsque alta Mavors in pace quiescit;  
 Dum populi turbis procul, infanoque tumultu  
 Otia felices, miti sub principe, carpunt:  
 Te quoque concessæ decet indulgere quieti,  
 Delphine: invitat Somnus, succoque madentes  
 Concurrit ambrosio pennas, cunabula circum,  
 Impatensque tuis ardet succedere ocellis.  
 Sed Jocus, & volucer tenerorum rector Amorum  
 Stant contra, gratæque excedere sede recusant.  
 Ille papavereo cunctantes verberare pulsat,  
 Et pactas servare vices & fœdera cogit  
 Invitos: quis enim locus ambitione Deorum  
 Dignior, aut quem armis potius defendere certent?  
 Tu tanti causa & pretium, puer auree, belli:  
 Tu pacem compone, & molles mollior ipse  
 Junge Deos. Aget excubias cum fratre Cupido,  
 Atque tuas ambo versabunt ordine cunas:  
 Dum tepido infusus gremio te somnus habebit.  
 Non ille obscœnis mentem turbantia visis  
 Somnia, pallentesque cava sub imagine larvas;  
 Sed risus faciles, & læto gaudia vultu  
 Objiciet: referet lusus nutricis amatae,  
 Et fractos blæso ore sonos & carmina nota,

Osculaque ah ! roseis toties impressa labellis.

En digito premit ora, jubetque silentia nutu  
 Sigalion : cernis pretiosam ut serica noctem  
 Conopea tibi, atque invito sole tenebras  
 Inducunt dites ? Sua pulchræ sunt quoque nocti  
 Sidera, sunt stellæ tenebris: carbunculus ardens  
 Innubisque adamas micat, & pura unio luce:  
 Lilia labentes referunt per cœrula flammæ,  
 Factura invidiam cœlo. Non pulchrius Horæ  
 Obtendunt Phœbo velum, cùm fessus in undas  
 Reclinat caput, & thalamis se mollibus infert.  
 Murice quamquam illud multoque illuserit auro  
 Intexens gemmas Tethys, viridesque lapillos.

Dum loquimur, victo somnus jam corpore regnat,  
 Oppressitque oculos. Dormi, dulcissime, dormi.  
 Tempus erit, cùm te vigiles sub pectore curæ;  
 Cùm te laudis amor, magnique parentis imago,  
 Objectæque animo laurus, bellique trophæa,  
 Infomnem seras cogent traducere noctes.  
 Seu contra immitem renovato fœdere Turcan  
 Arma feres, Scythicæque minantia cornua Lunæ  
 Infringes gladio (neque enim tibi deinde triumphos  
 Fas sperare alios:) seu toto avertere ponto  
 Prædonem Numidam, & priscae Carthaginis arces  
 Dejecisse voles iterum, magni æmulus ingens  
 Scipiadae: runc segnem oculis, & pectore somnum  
 Excuties: positis tunc nudo in gramine membris,  
 Effultusque caput galea, longove supinus  
 Ære super, lituos inter sonitusque tubarum,  
 Tympanaque, & sævi vesana tonitrua Martis,  
 Indomitum assuesces raptim mulcere laborem.  
 At nunc ne pudeat noctes requiescere totas

Atque dies : facili favet omnis Gallia somno ,  
 Inque tuo reperit secura sopore quietem.  
 Quippe haud desidia languens , turpique veterno  
 Marcidus ; ast regno pretiosus , & utilis orbi ,  
 Est sopor. Ille tibi succis vitalibus ossa  
 Irrigat , & puro perfundit sanguine venas.  
 Ille toros , roburque ausis ingentibus æquum ,  
 Regalique pares animo tibi præparat artus.

Ut rosa , quæ primi quondam sub tempora veris ,  
 Tenuis adhuc , necdum cunas egressa virentes ,  
 Dormit , vel molli dormire videtur in umbra.  
 Jam tamen imperio nata est. Lasciva Favoni  
 Gens volitat circum alludens , lenique flabello  
 Ventilat , & teneræ sudorem absterget alumnæ.  
 Pars frondentem agitant spondam , pars oscula libant ,  
 Ast illi occulto interea natura labore  
 Intus agens vires sensim atque alimenta ministrat :  
 Nunc ostrum aspergit foliis , nivibusque decentes  
 Temperat ingenuis flammis : nunc perlinit auro  
 Summum apicem , & pulchro crines diademate cingit.  
 Inde sinus grato aspirans perfundit odore.  
 Nec mora : vix cœlo se tertia rettulit Eos ;  
 Atque illam , insignem folio & stipantibus armis  
 Plebs omnis florum admirans lætatur , & ultro  
 Reginam flexa cervice reclivis adorat.

Auratis sic dum , puer , & florentibus ostro  
 Incumbens stratis , gremiove infusus amatæ  
 Nutricis somno indulges : tibi dædala rerum  
 Impendit genitrix curas , studioque fideli  
 Advigilat , properans heroa absolvere cœptum.

Quamquam ô nequicquam natura hunc poscat ho-  
 norem.

Sola sibi. Manet augustos nam prima parentes  
 Laus opere in tanto. Patris ab felicibus ulnis,  
 Matris ab amplexu venient in corpora vires,  
 Inque animum. Insistent studiis certantibus ambo  
 Mores prole sua dignos, Annæque nepote  
 Induere, ac teneræ totos se infundere menti.  
 Tu vivos monitus, & magna exempla sequendo,  
 Majora efficies: geminatis laudibus illos  
 Quin etiam superabis, utrique simillimus unus.

CAROLO SANCTA-MAURO

DU CI

MONTAUSERIO,

CUM NORMANNIÆ PRÆFECTUS ROTHOMAGI EXCIPERETUR:

**N**EUSTRIA frugiferæ Cereri gratissima tellus,  
 Fœta viris; cui stant centum cum mœnibus arces,  
 Cui portus totum missuri vela per orbem  
 Litora prætexunt; torvi Mavortis alumna,  
 Phœbi eadem studiis, lenique addicta Minervæ,  
 Pace simul belloque insignem heroa salutat.

Illa quidem tristis, luctuque obducta recenti,  
 Et cinere incomptos etiamnum fordida crines,  
 Principis heu! cari miserum testatur amorem,  
 Flebilibusque gemens alternat verba querelis,  
 Non aliter placitura tibi. Tamen accipit ingens  
 Casibus in tantis, qua fas est cumque, levamen;  
 Quod gremio collapsa tuo amplexuque recumbit.  
 Nec totum leto putat amisisse parentem;  
 Cum venias patrii affectus & pectoris hæres,  
 Promittasque alium nobis in præside civem.

K